

Bibliothèque numérique

medic@

**Ledoux, Jean-Pierre - candidat /
Brasdor, Pierre - président. - [De
Schirrho]**

1753.

***Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurg. Academiae
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°29



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0029](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0029)



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



PRO peculiari textu & constitutione organicâ suos
humani corporis pars quælibet patitur morbos.
Hujus veritatis specimen habes in glandulis, quæ,
communibus obnoxia, propriis etiam & ab ip-
sarum structurâ pendentibus vexantur morbis.
Scirrhum etenim in illis frequentius nasci soli-
tum, eas idiopaticè ut plurimum afficere, & ex
experientiâ, & ex consideratâ tum partium structurâ tum liquido-
rum glandulas permeantium indole, faciliè deducendum. De isto
requent i glandularum morbo dicturi, pauca de earumdem Anatome
præmittemus.



2

DUPPLICIS generis apud Anatomicos admittuntur glandulæ, Conglobatæ scilicet & Conglomeratæ. Hocce geminum glandularum genus, habitu exteriori sic denominatum nobis usu potissimum distinguetur.

GLANDULAS conglobatas appellamus illas quarum usus ad lympham spectat, conglomeratas verò quæ liquorem peculiarem à communi separant alveo. Hæ vasculis omnis generis constant, liquidumque singulare in ipsis à sanguine allato per canales, ut aiunt, secretorios separatur, secretumque per emissaria quædam excernitur, varios usus præstiturum*.

SIMPLICES sunt vel compositæ, illæ folliculi sunt quidam intrâ quos humor singularis depositus, fatus, per emissarium deniquè quò necessum est deferitur.

COMPOSITÆ exurgunt ex acinis qui propriis membranulis conclusi substantiâ cellulosâ uniuntur. De harum fabricâ imprimis disputatum, illas Malpighius voluit esse congeriem glandularum simplicium quarum emissaria in unum ductum excretorium coeant, Ruischius verò acinos ex quibus componuntur mera esse vasorum glomera absque folliculo interposito contendit.

OCCURRUNT in diversis corporis partibus, præsertim secundum venarum majorum tractum, massulæ quædam subrotundæ, diversæ molis, duplici membranâ inclusæ, substantiæ spongiosæ, cellulosæ, in cujus spatiosis innummerabilia vasa minora rubra lymphatica nerveaque decurrunt. Illas glandulas lymphaticas dicunt.

IN iis lymphæ elaborationem aliquam conciliari, etsi non demonstratum, attamen faciliè conjiciendum.

* Tertiam glandularum Classem constituunt aliqui, illarum nempe quarum usus nundum determinatus est, sed si semel detegatur, in alterutram constitutam Classem reducendæ erunt.

E X C H I R U R G I A.

TUMOR durus, gravis, tactui minimè cedens, lentè ut plurimum ac sensim crescens, in mollibus corporis partibus, caloris, doloris, inflammationis plerumque expers, cutis non immutans colorem, scirrhus vocatur.

ILLUM dividunt in verum qui mox descriptus, & spurium sensu non obtuso, duritieque minus renitente, à priori diversum. Simplex uterque aut complicatus, primitivus aut consecutivus.

MORBI hujus causæ externæ & internæ. Hæ sunt humorum prava Diathesis à lue venereâ, scrophulosâ, hæreditariâ labe, menstruorum aut fluxûs hæmorroidalis suppressione, rerum non naturalium abusu &c. Externæ verò, ictus, lapsus, attritus validus aut longus, quæ tumoribus indurationem inferre possunt; illis scilicet aut fluidorum blanda pervertitur indoles, aut proportionalis ad vasa amittitur crassities; his vasorum parietes ad se applicantur, liquorum circuitus intercipitur; utrinque, præsertim ubi partis textura favet, nascitur obstructio in scirrhum pro circumstantiis degeneratura.

Ex præfatis deducenda diagnosi. Prognosis varia, generatim tamen anceps. Scirrhus ex se innocuus, pluribus de causis difficillimè vitandis malignus evadit, aliundè materia adeò dura vix ac ne vix quidem resolvitur aut emollescit, quæ, si fluidior adhibitis efficiatur remediis, in rodentem vertitur saniem, carcinomaque exulceratum aut fistulam cuilibet arti insuperabilem parit.

SCIRRHI curatio triplex: Resolutio, Ablatio, Palliatio. Recenti, benigno, loco idoneo sito, sensu ac mollitie quâdam gaudenti prior competit, faciliùs obtinenda, si agens externum morbum procreaverit. Liquorem induratum sensim attenuare, ut indurati solidorum actioni minùs obsistat, eundem in communem circulationis alveum repellere vel per debitas vias deturbare, hæc sunt quibus obtinetur; hinc patet quænam adhibenda, quænam fugienda.

MEDIIS indicatis emollitur quandoque tumor, feliciter nonnumquam evanescit; si verò diù obsistat, dolorem concipiat, si cancrofa degeneratio pertimescenda, si in irresolubilem abierit duritiem, si mole vicina comprimens suffocationem, rapidè crescens extirpationis in posterum periculum majus minitetur, cum situs, mobilitas, ægri valetudo permittunt, ad alteram protinùs curationis speciem confugiendum.

EXTIRPATIO triplici modo obtineri potest, caustico, ligaturâ, ferro. Caustica plerumque non sufficientia, frequentius infida & funesta. Ligatura tunc instituenda cum scirrhusa moles eminens pedunculo quasi hæret affixa, sæpè exitiosa, ferro utcumque postponenda.

PRO diversis scirrhi mole ; situ ; cutis colore ; aut adhæ-
sione, variat tumorem amputandi methodus ; unde nunc dissectis
integumentis integer, quasi enucleatus, aufertur ; modò cum
cute super positâ rescinditur. Amputatione peractâ inquirendum,
an aliquid scirrhusæ indolis relictum fuerit, citòque eximendum.

SANGUINIS effluvium, sæpè statim modicum, sed post aliquot
horas gravius quandoque recrudescens, mediis debitis cohibeatur.
Vulnus pro variâ quâ fuit extirpatum methodo diversè deligetur ;
illuc cutis segmenta ad se admoveantur, admotaque contineantur,
hic verò patula plaga pro suis temporibus tractanda. Pro casu fon-
ticulus aperiatur.

SCIRRHUS adhærescens, ægri cacochymia, aut ætate provec-
tiori complicatus palliativè tractandus ; tunc sola sedantia, si
adfit dolor, cum his quæ temperiem corrigere possunt, si exi-
gitur, adhibenda.

*Has Theses DEO JUVANTE, & Præside M. PETRO
BRASDOR, Artium & Chirurgiæ Magistro, Serenissi-
mæ Aurelianensium Ducissæ Chirurgo primario, tueri
conabitur JOANNES-PETRUS LEDOUX, Parisinus, Artium
Liberalium in almâ Universitate Parisiensi Magister.*

PARISIIS.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Veneris 3^a. Augusti, à sesqui - secundâ post meridiem
ad septimam. Anno Domini 1753.*

PRO ACTU PUBLICO.

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi 1753.